

kat.komp.

	21533
	III Mag. St. Dr. P

*anciscus*

*Dobinski Stanislawi Posthuma immortalis memo*

PANEG. et VITAE  
Polon. Fol.  
№ 1397.

112

POSTHUMA <sup>1144</sup>

IMMORTALIS

MEMORIA,

Viri in Republica Polona Magni,  
Heroicis Virtutibus & Meritis,

*ILLVSTRISSIMI & MAGNIFICI DOMINI,*

D. FRANCISCI

*in S L U P O W*

SZEMBEK,

DAPIFERI REGNI,  
CAPITANEI BECENSIS.

maximo cum dolore Patriæ,  
invidis magnæ expectationi ac spei Fatis

EXTINCTI.

Sepulchrali Inscriptione,  
Sæculis, ac feræ Posteritati,

*P E R*

STANISLAVM à DOBNA DOBINSKI,

*In Regimine S. R. M. Guardia,  
Cohortis Desultoria Optionem*

CONSIGNATA.

*Anno Salutis Vitæq; Immortalis Instauratæ 1712.  
Die 2. Decembris.*

---

GRACOVIAE, Typis UNIVERSITATIS.

21.533 III

1145. SEPULCHRALIS  
INSCRIPTIO.

D. O. M.

Æternæ Memoræ

ILLVSTRISSIMI & MAGNIFICI DOMINI,

D. FRANCISCI

a SŁUPOW

SZEMBEK,

DAPIFERI REGNI,  
CAPITANEI BECENSIS,

Cui desideratissimo,

Gentilitia ROSARVM Purpura,

Fatis transmutata invidis,

in funestum Syrma.

Palmæ & Laurus in taxos & cupressus versæ,  
tandem qui Herodâ parabantur virtute,

Currus Triumphales, & Curules;

proh dolor! concessere in Urnam.

Hic

**Hic in Sago & Toga,**

**Belli Pacisq; Artibus,**

extra Fines Regni, intraq; gelidos Triones,

**CLARISSIMVS,**

magnis, auro cedroq; notandis

in Republica Polona Meritis,

præclare gestis, ac Heroicis Actibus,

per totum Europeum Orbem,

**CELEBERRIMVS.**

etiam Hyperborei ultra glaciem Oceani,

**Terris incultis,**

sonorâ Famæ vocalis Tubâ

**NOTISSIMVS.**

debitis, pro tot tantisq; meritis,

alijs collatis, alijs conferendis expectantibus,

magna cum spe amantium;

Honoribus, Dignitatum Officijs,

**ILLVSTRISSIMVS.**

**Quantum egit**

Pro FIDE, MAJESTATE, LIBERTATE,

Loquitur omnium passim lingua diserta

stimulante bonos recta, & arguente

etiam male affectos, sinistramq; tenentes,

erroneâ conscientia

mors ipsa fatetur.

A

Quan-

Quantum prodesse PATRIÆ voluit & potuit,  
 Testis Pomerania, Dania, Norvegia,  
 Holandia, Belgium, Anglia,

## Romanum Imperium:

Testis totus Septemtrio ac Oriens,  
 amore boni publici quæ & quanta fecit,  
 perennaturæ Sæculorum memoriæ, consignant.

Mare Balthicum,

Sinus Codanus, Venedicus,  
 æstu contrario insurgentes fluctus,  
 etiam in luctus converfos,

Deposita irâ

in Parentale obsequium componit,  
 suisq; gemit procellis,

## Tanti Fata Viri,

Quæ vel ipsa Stokolmi mænia,

*intra quæ nata occasio mortis*

mæsto ægrè spirant lapide,

sonantq; tristi classe & classico

Oræ Maritimæ,

Littora Gotthica & Vandalica,

## Magni Illustre Nomen Viri

*tantò magis dolendi*

*quantò olim intimius amandi,*

quia maximè afflictæ PATRIÆ profuturi.

*Rumpatur quisquis rumpitur invidia,*

illi eo altior in gloria æviterna

Pur-

Purpureus Ascensus,  
Sidereis præcurrentibus in supera alta  
**SZEMBECHIS CAPELLIS,**

quò sublimior fuit semper,  
Heroicæ Virtutis gradus.

Illibatam Fidem illius  
quam Serenissimæ MAIESTATI

**AUGUSTI II.**

& Libertati Salutiq; Patriæ,  
ad ultimum Vitæ Punctum integerrimè servavit,  
non potest Orbis Polonus testari,  
clariùs ac Religiosius,

quàm per ejus Sanguinis PRINCIPEM,  
cui concessit Summa Potestas,

Sacris coloribus rubentem,  
Pro Fide Romano-Catholica zelum,

**Primatiali Purpurâ**  
explicare, adversa tollere.

Connubiali Fædere juncta,

*ILLVSTRISSIMA DOMINA*

**MAGDALENA**  
DE SZCZEKARZOWICE

*ILLVSTRISSIMI olim ac EXCELLENTISSIMI DOMINI*

**D. STANISLAI**  
DE SZCZEKARZOWICE

B. TAR.

**T A R L O,**  
**Palatini Lublinensis**

**Lectissima Filia,**

è meditullio cordis Fato erepti,  
 suæ dimidiæ Animæ.

**Mæstissima Consors,**

**Gentilitium Ascixæ Splendorem,**

Fatali Umbra sublata è Vivis,

**Coniugis Amantissimi**

Obscuratum condit, funestam eclipsim  
 patiens Cynthia.

Sola Vnicâ solatur

**Vtramq; Colligatorum Domum,**

Magnæ Spei Prole relicta,

in qua vivit superstes ac perennabit;

Terris acceptus, Cælis redditus,

**Magnanimus Sarmaticus Hector,**

animam ponens pro PATRIA,

Inscriptione Sepulchrali,

**Marmor Insignitum,**

Magnis Sacrum MANIBVS,

Colligati, æquè publici amoris;

*qua nunquam arefcere poterunt:*

*ingentibus Lachrymis,*

*& immorientibus sævo Aquilone percussis,*

**Gentilitiis Rosis**

CONSPERSUM,  
 spirat & maxime sonora Voce pullat aures,  
 in eadem navi mortalitatis navigantium;  
 Præmittens in adorem,  
 NOMINI & HONORI,  
 Epicedium triste,  
 ad imitationem veterum Sapientum;  
 ac Bonorum Patriæ Civium:

Si de ullo unquam mortalium fas erat illud usurpare,  
 Quod Q. Metellus Macedonicus, de Africano Minore,  
 Diem supremum functo, licet inimico;  
 Liberis suis dixit,

*Ite Filii, celebrate exequias.  
 nunquam Civis Maioris funus videbitis.*

Id hodie de meritissimo  
 in Republica Polona Viro,  
 suo magis, quam Civium suorum tempore,

Fatis sublato;

haud invidiosè mæsta Patria dicere potest,  
 Itæ frequentes SZEMBECIANVM ad Tumulum,  
 & superstiti magna spiranti,  
 Cineri, suprema ferte:

nunquam majori Civi triste hoc,  
 persolvētis Officium.

Quem ergo nunc pullata

AVGVSTA MAIESTAS,  
 Patria, Sanguis, Literæ;  
 Aternæ consignant memoriæ;

& ad Iusta Funebria

maximum ante alios ferunt Cordolium,

Tu Legens, Boni Publici æquè,

ut Personæ olim amantissimus:

publico Dolore motus & compunctus,

*nec internis renitens stimulis;*

Hunc qui pro Bono Publico

Vitam animamq; posuit.

Votis ad Superos comitare candidis,

Vel ideo similia & maxima Vota;

Vtinam Te sequantur,

Noveris te quoq; esse Mortalem,

*Et quia Tibi contigit nasci, restat pariter mori;*

Neq; altæ menti, neq; fortunæ fide,

Novissima vide,

ac noveris nihil esse sub Sole novi,

ut omnia Vanitas Vanitatum,

Requie æternam precare,

& posthumam Tanti Viri memoriam,

Vel ideo immortalem,

Quia in tuo, & seræ posteritatis Corde

perennaturam.

tene, ferva, fove, auge:

non aliter & ipse Te perennaturum,

ac immortalem futurum spera,

nisi quæ Catholicæ pietatis obsequio,

Mortales exuvias deponenti feceris;

Tibi æquè, imo plus

ab alijs præstanda non dubita.

# Superstitem memoriam,

quam continuò, perpetuam spirabunt

## CINERES MAGNI

Hanc cordium monumentis,

Ille meliore sui parte translatus in æthera,

Stylo Adamantino;

Mæstissimus verò affini Sanguine junctus.

## Militiæ Polonæ,

Animum, ætatem, fortunamq; devovens;

inculto quidem & simplici,

vero tamen ac sincero.

*ut mos Gradivo Sacris*

Stylo Ferreo extemporaneo,

## CONSIGNAT.

## GENTILITIAS ROSAS,

quia Heròâ Virtute Vernantes,

pubentesq; continuò,

ac æternum odorem Suavitatis,

pro bono publico fundentes,

Lachrymarum imbre conspergens,

## DESIGNAT.

In Regionem Vivorum assumptum,

qui nequaquam ita mortuus est,

ut ignavi solent viles exhalare animas;

Año ætatis suæ climacterico XLV.

# Tu Viator,

C

Super-

Supernam æquè tendens in Patriam,  
 quamdiu mortalium Viam decurras,  
 in Animo bene affecto,  
 conde perennaturam,

**TANTI VIRI**  
**Posthumam Memoriam,**

quam insertam Fatis,

**& Fascibus Regni ;**

**AQVILIS SARMATICIS,**

gravi cordolio impressam,

**ASTRIS ILLATAM,**

Elevatione Lechici Poli sublimatam.

sæcula ac fera Posteritas,

**Immortalem servabunt:**

& idem semper manebit Honos,

**SZEMBECCIIS ROSIS,**

Lauri Triumphali intextis,

in quarum suavitatis odorem,

**Orbis Polonus curret,**

*quamdiu Sol volvet,*

*inexhausto reduntia sæcula moris*

BIBLIOTH. EPISCOP.



ANGELLONICAE

Biblioteka Jagiellońska



stdr0023805

